

*Ne dies Domini tamquam fur vos comprehendat.*

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli  
ad Thessalonicénses

5, 1-6

- <sup>1</sup> **D**e tempóribus et moméntis, fratres, non indigétis,  
ut scribátur vobis;
- <sup>2</sup> ipsi enim diligénter scitis  
quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet.
- <sup>3</sup> Cum enim díxerint: «Pax et secúritas»,  
tunc repentínus eis supervéniet intéritus,  
sicut dolor in útero habénti,  
et non effúgient.
- <sup>4</sup> Vos autem, fratres, non estis in ténebris,  
ut vos dies ille tamquam fur comprehendat;
- <sup>5</sup> omnes enim vos filii lucis estis et filii diéi.  
Non sumus noctis neque tenebrárum;
- <sup>6</sup> ígitur non dormiámus sicut céteri,  
sed vigilémus et sóbrii simus.

Verbum Dómini.